

ponit mentem. *Passive* si vox illuminatio accipiatur, quo pacto adcurate loquendo tantum aliquis illuminatus dici potest, tum quidem duplici ratione hoc intelligi potest: primo, ut quis ea quidem, quae in scriptura sacra reuelata sunt, capiat, sed ut minime efficax & salutaris sit haec cognitio; deinde, ut ita veritatem diuinam cognoscat, ut haec vim suam simul & efficaciam exserat, adeoque cognitio ista salutaris fiat. Priori modo si cognitio spectetur, tum quidem verum, quod homo irregenitus sibi de rebus in scriptura sacra reuelatis conceptus, rebus ipsis conformes, formare, & haecenus veritatem cognoscere possit; verum etiam est, quod verbum diuinum, quod ita cognoscit, sit, maneatque verbum diuinum, seu lumen diuinum, adeoque in generaliori significatione illuminatio dici potest, prout omnis veritatis cognitio in quocumque homine ita adpellari potest: at tum quidem id non fit secundum scripturae sacrae stilum & loquendi rationem. Quae nam autem ab altera parte hic iure desiderentur, non altercandi studio, sed veritatis amore, iuxta cognitionis meae modulum, in gratiam studiosae nostrae iuuentutis hic ingenue exponere licebit. Constat ex verbis adductis, integram quaestionem controuersam ita formatam esse: *An homo impius, adeoque adhuc irregenitus, qui sibi de rebus in scriptura sacra reuelatis conceptus, rebus ipsis conformes, formauit, & haecenus veritatem cognouit, tantum in generaliori significatione, an vero etiam proprie, & secundum scripturae sacrae stilum & loquendi rationem, dici possit illuminatus?* Qui negatiuam tueretur, prouocat ad Eph. V. 8. vbi Paulus de Ephesiis ad Deum conuersis scribit: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino.* Adducuntur & alia loca, quae euincunt, regenitos vocari lucem, vel illuminatos. Quod cum verissimum sit, stupidus esset, & nomine theologi plane indignus, si quispiam hoc negare intenderet.

Si